

uiter, imminentis prælij fortunam, quod in partibus Cæsarei exercitus, & Dux animosior videretur: Veruntamen eum metum, qui constantes & Romanos viros urgebat, Græculum hominem prostrasse, facilimè & à sensu proprio deiecisse. Minimè mirandum igitur, si quod omnes taciti verebantur, quodque idem ille valde pertimuerat, ferens deposito pudore prædicaret. Alioquin quid agerent Dij insano potius remigi, quam memoratis suprâ tribus tam claris viris, vt Prætori etiam prudenti viro, & egregio, instans Reip. periculum reuelarent.

CORNELIVS.

Sed quid de Cornelio dicam, qui & sanguine nobilis & sacerdotio venerandus, & (vt aiunt) castitate vitæ sanctus, Patavi in transpadana Italia degens, hanc ipsam pugnam, non triginta dierum spatio circumscripsit, sed eo ipso die, & dum in Thessalia gerebatur expressit? Subitò enim furore correptus, murmurare orsus est: Videre se de longinquo prælium grauissimū, & modò hos fugere, modò illos insequi, modò præliū instaurari, & vulnera & mortes & gemitus cadentiū, & clangorē tubarū, & equorū strepitū & fragorē arborum,

rum,